DISPUTATIO JURIDICA DE ANTINOMIIS:

QUAM

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi & Consultissimi


DN. JOHANNIS JACOBI WISSENBACHII,

JCti ac Antecessoris in Celeberrimâ Frisiorum Academiâ Primarii, p. t. Rectoris Magnifici, Fautoris & Præceptoris sui ætatèm venerandi,

Publico examini subjicit

JOH: ALBERTUS HARNISCH, Sehus: Marchic. *Auth. & Resp.*

Ad d. Feb. loco horisque solitis.





FRANEKERÆ,

Excudit JOHANNES WELLENS, Illustrium Frisiæ Ordinum & eorundem Acad. Typog. Ord. 1663.

I. N. D. N. J. C.

THESIS I.



Urisprudentiæ Studium consistit in duobus, Cognitione & Applicatione. *Ant. Matth. disp. 1, fundam jur. n. 11.* Hæc nihil aliud est quam Praxis, non tamen nuda & circumforanea, cujusmodi, inquit, Ant. Faber. *ad § 3. Inst. de legat.* est Procuratorum quorundam forensium, sed quâ juris scientiam applicamus negotiis, ad facti speciem accommodamus, & à similibus ad similia procedimus *l. 12. 13. D. & legib.* Quod enim medicamenta morbis, hoc jura exhibent negotiis, *Nov. 111.*

I I.

Cognitio juris in tribus consistit. I. Quæstione II. Quæstionis ratione. Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Non satis est nosse τὸ ὅτι, nosse etiam oportet τὸ διότι. Identidem tamen ad Asylum illud ignorantiæ nostræ, *Non omnium quæ à majoribus sunt constituta ratio reddi potest l. 20. D. & legib.* confugiendum est. III. Contrariarum sive pugnantium legum, earum sc. quæ sibi invicem adversari videntur, conciliatione.

I I I.

Quæ cum Studii juris pars fermè sit difficillima, nihil æque curæ cordique est Interpretibus no-

ſtris, quàm ut, ſi qua legum pugna eſt, eam dirimant. Indicant id ſaltem tot Interpretum noſtrorum Libri Ἐναντιοφανῶν, *Reſolutionum*, *Conjecturarum*, *Emendationum*, *Opinionum*, ut & ICti illius Patavini, Nicol. de Paſſerib. liber, cui titulus, *conciliatio cunctarum legum, quæ in toto Corpore Iuris Civilis invicem quaſi è diametro ſibi contrariari videbantur, ſolidiſſima.*

IV.

Et ſane haud ignobile hac in parte illorum videtur otium, ne alias in interpretando jure, ſi fortè occurrat Antinomia, non paſſim nec facilè eò confugiamus, ut juris noſtri legumque conditores pugnantia ſcripſiſſe fateamur. Duar. *de in lit. juran. n. 29.*

V.

Sunt tamen Antinomiæ (ſic dictæ, ab ἀντὶ, *contra*, & νόμος, *lex: leges contrariæ.* Calvin. *in Lexic. jurid. p. 74.*) quæ omnem omnino conciliationem reſpuunt, nec ullô ingenioſô commentô tegi vel diſſimulari poſſunt, Hottom. *15. ob. 18.* Bach. *diſp. 3. th. 36. d. Act.* Cujac. *ad §. 10. Inſt. de leg.* Neque Doctorum Conciliationes, ſollicito veritatis indagatori, usquequaque ſatisfaciunt. Clar. D. Wiſſenbach. ad *Pand. diſp. 18. th. 19. ad Inſt. diſp. 26. th. 25.* Diſſent. Jacob Mæſterti *de Juſt. leg. Rom. dubit. 1.*

Quod in præſens tùm ex ipſis legum capitibus, tùm Clariſſimorum Virorum teſtimoniis, comprobare fert animus.

VII.

Rerum testimonia sunt: Tabula cedit picturæ *l. 9. §. 2. D. de acquir. rer. dom. §. 34. Inst. de Rer. divis.* Adversatur Paulus in *l. 23. §. 3. D. & Re. Vind.* Componendi dissidii inter Paulum & Cajum rationem, multi quærunt, dant quoque, alius hanc, alius aliam, I. Paulum explicant de scriptura inpugillaribus cereis. II. picturam referunt ad specificationem. III. Paulum in *d. l. 23.* corrigere præcedentem opinionem, IV. disting: inter picturam vilem & pretiosam. V. inter pictoris bonam & malam fidem. VI. inter picturam impositam rei mobili vel immobili. VII. Paulum non contraria sed diversa scripsisse. IX. Domino tabulæ utilem in rem actionem competere, & non obstante dominio pictoris, dominus & ipse tabulæ adhuc esse intelligitur, hactenus saltem, ut utilem rei vindicationem habeat, adhibita licet hac Donelli *4. Comment. 36.* distinctione, quæ inter cæteras familiam ducere videtur, nimia tamen & implacabilis pugnantia *d. leg.* apparet, *expressamque Antinomiam,* verba sunt Arum: *Exerc. Iustinin. 4. th. 18. malo agnoscere quam ineptas & menti ICtor. contrarias responsiones admittere.*

VIII.

Rogasti me ut tibi pecuniam crederem, ego cum non haberem, lancem tibi dedi vel massam auri, ut eam venderes & nummis uténeris, si vendideris puto pecuniam mutuam factam. *l. 11. D. de Reb. Cre.* Obst. *l. 34. D. Mand.*

IX.

Apud legatum Proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet jurisdictionem talem, *l. 2. §. 1.*

39

D. de Off. Proc. & Leg. E diametro Obstat *l. 17. §. 1. D. de manum. vind.* Nonnulli interpretes, cum conciliationes harum legum ita comparatas esse viderent, ut nolentes volentes fateri cogerentur, Paulum verè adversari Martiano, emendatrices manus *d. l. 17.* admoverunt v. Goth. in *not. ad d. l.* cæterum præterquam quod violentæ sunt, contextus orationis respuit. de audaci legum emendatione judicium Clar. D. Wissenbach. videre licet *disp. ff. 28. th. 10. par. 2.* Qui de hoc dissidio componendo bene sperare nos jubent, illi distinguunt inter legatum præsentem & absentem: Inter legatum provinciam ingressum & non ingressum. Resp. Magnif. D. Præses. *ad Pand. disp. 5. th. 12.*

X.

Bonæ fidei possessor fructus lucrari desinit, simulatque cognoverit, rem à se possessam, esse alienam, vel cum ipso lis contestata fuerit. *l. 23. §. 1. l. 48. §. 1. D. d. acq. rer. dom.* Obst. *l. 25. §. ult. D. de Usur. & fruct.* Varias DD. conciliationes consarcinavit Nicol. de Passerib. *concil. leg. p. 442. & seqq.* Hunn. *Resol. Iur. Civil. l. 2. tract. 1. quæst. 34.*

X I.

Qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori vel liberis suis *l. 10. D. de Iurisd.* Graviter adversatur *l. 77. D. de Iudic.* Sunt qui distinguunt inter *jus dicere* & *judicare. jus dicere* in causa filii non debet Parens, Magistratum gerens, propter verosimilem affectionem, quia parentis libera potestas in reddendo jure, à veri rectique tramite deflectere possit, *d. l. 10. judicare* vero potest, quia

quia judicandi poteſtas libera non eſt, ſed propter formulam Prætoris coarctata. Sed excutienti hæc deligentius facilè apparet, nullum tibicinem inde fabrefieri poſſe cui firmiter innitantur. Affectionis ſuſpicio, quæ in jus dicente metuitur, non ceſſat in judice; non enim ita judicandi formulæ ſibi à Prætore præſcriptæ adſtrictus eſt, ut arbitrii prorſus ſit impos, præſertim in facti quæſtione & cognitione *l. 1. §. 4. D. ad SCt. Turp.* Goth. *in l. 17.* diſtinguit inter jurisdictionem contentioſam & voluntariam. Cujac. *in ead. l.* diſting. inter jus, & honeſtatem. Weſenbec. *Parat. D. de judic. n. 13.* inter judicia publica, & privata Pac. *3. Ant. 31.* inter, debet, & poteſt. Has conciliationes, cum infirmiores ſint quàm ut arietem ſuſtinere valeant, ſolidè diluit Clar. D. Wiſſenb. *ad Pand. diſp. 6. th. 41. edit. ultim.* & diſſentientes hac de re fuiſſe JCtor. ſententias *arg. l. 6. D. d. recept. qui arb. recep. ut ſent. dic. conſtat.*

X I I.

Crimen ſtellionatus infamiam irrogat damnato, quamvis publicum non eſt judicium. *l. 13. §. ult. D. de his qui not. inf.* Imo ſtellionatus judicium famoſum non eſt *l. 2. D. de ſtell.* Treut. *v. 1. diſp. 8. th. 6.* ope diſtinctionis has leges in concordiam adducere ſatagit; aut crimen illud ſtellionatus concurrit cum alia actione civili famoſa *d. l. 13.* aut non *d. l. 2.* Bocer. *in append. Tract. de crim. majeſt.* judicium ſtellionatus per ſe non eſſe famoſum, dicit; ſed tum demum ſi ſequatur ſententia & damnatio. Sed hanc diſſidii componendi rationem, diſſimulandam &

ſup-

supprimendam magis, quam refutandam esse scribit Bachov. *v. 1. disp. 8. th. 6. l. G.* Ipse Nicolaus de Passeribus, licet initio sui libri cunctarum legum contrariarum conciliationem promittit; tamen sic scribit: *Illa duo responsa (d. l. 13. & 2.) adeò claram & apertam inter se contrarietatem continere videntur, ut nulla quidem solida juris ratione conciliari posse opiner.*

X I I I.

Si debitori, qui rem alienam pignori obligaverat, heres extiterit dominus rei; quæritur an convalescat pignus, deturque creditori utilis pignoratitia actio? Neg. *l. 41. D. de pignor. action.* Affirm. *l. 22. D. de pign. & hypoth.* Varias ad hanc antinomiam solvendam rationes adferunt varii, *in d. l. 41.* rem alienam pignori fuisse obligatam, domino contradicente & reclamante, *in d. l. 22.* domino ignorante. II. tempore Pauli actionem hypothecariam in hac specie nondum fuisse receptam, & Modestini sententiam, veluti recentioris JCti tandem prævaluisse & usu obtinuisse. Præterquam quod hæc responsio conciliandis antinomiis minus apta, haud temerè quidam, judiciô Clar. D. Wissenb. *disp. ff. 27. th. 21.* ex Historia juris colligunt, quod Paulus & Modestinus fuerunt *σύγχρονοι.* aliter Wesenb. *in parat. D. de pignor. action.* has leges conciliat.

X I V.

Quod si faciam ut des, & postquam feci cessas dare, nulla erit civilis actio, & ideo de dolo dabitur *l. 5. §. 3. D. de præsc. verb.* Adversatur *l. 15. vers & quid l. 22. Eod. l. 6. C. d. Transact.*

X V.

X V.

Qui servitutem habet, novum opus nunciare potest *l. un.* §. 3. *D. de Remiss.* Obst. *l. 14. D. d. oper. nov. nun.* quæ dicit, qui viam habet, novum opus nunciare non potest, via autem est servitus. Sunt qui inter servitutes continuas & discontinuas distinguunt. II. inter servitutes quæ in non faciendo & patiendo. III. inter servitutes Urbanas & rusticas, IV. illarum tantum servitutum nomine novum opus nunciari posse, contra quas directo fit per ædificationem. V. Qui viam habet, domino in via ædificanti novum opus nunciare non posse *d. l. 14.* aliis vero posse *d. l. 1.* §. 3. De his conciliationibus judicio Excell. D. Wissenb. *Disp. D. 15. th. 3. par. 2.* judicare licet quod Eunomia Plautina de fœminis *in Aulul. act. 2. sc. 1.*

X V I.

Eo tempore, quo in peculio nihil est, pater latitat, in bonorum possessionem ejus rei servandæ causa mitti non possum, qui de peculio cum eo acturus sum. Quia non fraudationis causa latitat, qui si judicium acciperet, absolvi deberet. *l. 50. pr. D. de Pecul.* Papiniano obloquitur Ulpianus in *l. 7.* §. 15. *D. quib. ex caus. in poss. eat.* Accursius duas rationes affert conciliandi Papinian: cum Ulpiano. I. in *l. 7.* litem esse contestatam: non esse in *l. 50.* II. In *l. 7.* Spem superesse acquirendi peculii: non superesse in *l. 50.* Diluit has rationes Cujac. *Com. ad lib. 9. quæst. Papin. in d. l. 50.* Ubi addit, constare ex *l. quæsitum*

30. d. 1. de pecul. controversum hoc fuisse inter Sabinianos & Proculejanos.

XVII.

Socius omnium bonorum condemnatur in id quod facere potest, *l. 16. D. d. re judic.* Obstat *l. 63. pr. D. pro Soc.*

XVIII.

Inutile est legatum, si res legatarii propria ei legetur, nec convalescit, etiamsi vivo testatore eam alienaverit *l. 41. §. 2. D. de legat.* 3. Vehementer Obstat *l. 1. §. ult. D. de Reg. Caton.* De legato conditionali *d. l. 1.* plerique explicant. Sed non est σοφὸν φάρμακον quod illi huic difficultati tollendæ adhibent: non n. Celsus de legato conditionali loquitur, & verba, *si eum vivo testatore alienaveris*, non sunt testatoris sed JCti Celsi. Cl. D. Wissenbach. *ad Pand. disp. 7. th. 6. part. 2. & Exercit. 31. ad Tit. de divers. reg. jur. Conciliationes, quas adferunt interpretes nostri, his eas persuaserint*, inquit, *qui nondum are lavantur.* Nec dubitandum esse de hac Antinomia Anton. Matth. *Coll. Inst. 1. disp. XI.* docet. Duo enim lumina JCtor. Cujac. & Hom. id statuunt, & res ipsa loquitur.

XIX.

Si qui mihi obligaverat, quæ habet, habiturusque esset, cum fisco contraxerit, sciendum est, in re postea acquisita fiscum potiorem esse debere Papinianum respondisse: quod & constitutum est, prævenit enim causam pignoris fiscus *l. 28. D. d. Iur. fisc.* Vehementer adversatur *l. ult. D. qui pot. in pign.* Anton. Fab. *2. conj. 10.* respondet. Sejam præferri in rebus post primam & secundam obligationem quæ-

sitis

ſitis, dummodo quæſitæ ſint ante factam novationem: in quæſitis poſt factam novationem præfertur fiſcus. hanc conciliationem diluit Bachov. *ad Treutl. v. 2. diſp. 24. th. 7. l. 4.* Ipſe *cit. diſp.* rationem deciſionis petit à duplici jure, temporis & tutelæ, quod Seja *in d. l. ult.* habeat. Sed nec hanc Bach. deciſionis rationem firmis tibicinibus inniti ſolidè & nervoſè oſtendit Cl. D. Præſes *ad Pand. par. 2. diſp. 39. th. 9.* aliorumque conciliationes accuratiore lima & ratione examinat.

X X.

Theſaurus in loco religioſo, fortuito caſu inventus, cedit inventori. §. *29. Inſt. de rer. diviſ.* Obſtat *l. 3. §. fin. D. d. jur. fiſc.* Arum. *Exerc. Juſtin. 4. th. 29.* diſtinguit inter loca religioſa privata *d. §. 39.* & loca religioſa publica. Cujac. 9. *obſ. 37.* textum emendat, alii negationem *d. l. 3.* inſerunt. Sed contraria & antinomias non ex lectionum immutatione conciliandas eſſe eruditiſſimè demonſtrat D. Hahn. *in Obſerv. ad Parat. Weſenb. de Juſt. & jur.* Goth. *in not. ad Novel. Leon. 51.* reſpondet, Juſtinianum, repudiata D. Fratrum in *d. l. 3.* ſententia, comprobaſſe D. Adriani ſententiam in *d. §. 39.* Petr. Oſterm. in *Ration. ad d. §. 39.* diſtinguit inter modum acquirendi dominii mere naturalem *d. §. 39.* & alteratum à jure civili *d. l. 3.* Refutat hanc conciliationem Bachov. *v. 2. diſp. 25. th. 2. l. G.* Sunt qui diſtinguunt inter æquitatem & ſtrictum jus; Sed malè conciliandis Antinomiis adhibetur hæc diſtinctio. Cl. D. Wiſſenb. *diſp. Inſt. 10. th. 15.* Vigl. Zuichem. *in com. ad §. 4. Inſt. d. hered. qual. & differ.* Gabr. Palæot. *de Spur. c. 46.*

XXI.

Si pecuniam tibi tradam donandi gratiâ, tu eam quasi creditam accipias, proprietas ad te transit *l. 36. D. de acquir. rer. dom.* Vehementer Obstat *l. 18. D. de reb. cred.* Multis curæ est ut hanc antinomiam amoliantur. V. Cl. D. Wissenb. *Diatrib. de Mutuo disp. 1. §. 21. & seqq.* ubi DD. Conciliationes solidè diluit. Bach. *v. 1. disp. 20. th. 4. l. a.*

XXII.

E duobus reis stipulandi, alter in alterius præjudicium novare obligationem potest *l. 31. §. 1. D. de Novat.* Imo non potest *l. 27. D. de Pact.* Variæ in medium afferuntur conciliandi rationes I. quod *l. 31.* loquatur de correis non sociis. *l. 27.* de sociis. II. alii Venule. restringunt ad casum quo correus hoc egit, ut à se tantum liberetur debitor. III. *d. l. 27.* explicant de eo casu quo alter litem est contestatus IV. *in d. l. 27.* pro *novare* legunt *donare*, Resp. Cl. D. Wissenb. *Comm. ad Pand. de Novat. n. 10.* Bach. *v. 2. disp. 27. th. 9. l. D.* Hunn. *Variar. Res. I. Civ. l. 3. tract. 4. quæst. 17.*

XXIII.

Arbor vicini, quæ in fundum tuum radices egit tua efficitur *§. 31. Inst. de rer. div. l. 7. §. ult. D. de acquir. rer. dom.* Non obscurè contradicit Pomponius in *l. 6. §. 2. D. arbor. furt. cas.* Schneid. *in Comm. ad d. §. 31.* respondet apud Cajum & Justin: universas arboris radices, vel maximam partem in fundum vicini immissas esse, Apud Pompon. in *l. 6.* aliquas saltem. Bachov. *ad Treut. disp. 20. th. 5. l. d.* ultimam Accurs. distinctionem inter rationem acqui-

rendi

rendi Jurisgentium, & Civilem, ratam habet. Verum hæ conciliationes ad Lydium lapidem veritatis exploratæ, vix consistent. Cl. D. Wissenbach. *disp. ff. 29. th. 25. edit. ult. Hic nodus* inquit Hottom. *1. ob. 10. & 5. Ob. 14. est insolubilis.*

XXIV.

Testator creditori suo, quod in diem vel sub conditione debet, legat pure, jam si dies vel conditio vivo testatore supervenerit, nihilominus utile est legatum §. 14. *Inst. de legat.* Non est utile *l. 82. D. de legat. 2.* Pacius in *Analysi ad d.* §. distinguit inter legatum generis seu quantitatis *l. 82.* & legatum corporis sive speciei *d.* §. 14. Petrus Osterm, in Ration. *ad d.* §. 14. hunc nodum ita solvit, Inutile est, cum alia actione personali ex obligatione peti possit: Utile cum actione ex testamento. Nicol. de Passer: *Concil. leg. p. 488.* alio conciliandi modo utitur, qui tamen dudum est explosus Cl. D. Wissenb. *Disp. Inst. 26. th. 25.*

XXV.

Duo eandem rem in solidum possidere non possunt *l. 3. §. 5. D. d. acquir. possess.* Adversatur *l. 15. §. 4. D. d. Prec.*

XXVI.

Pater prius sibi debet heredem scribere, deinde filio substituere, neque hunc ordinem scripturæ convertere *l. 2. §. 4. D. d. vulg. & pupil. subst.* Idem Ulpianus *in ead. l.* §. *5. & seq.* contrarium respondet.

XXVII.

Contracta emptione & venditione, periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi ea res emptori nondum sit tradita §. 3. *Inst. d. Empt. &*

Vend. l. 8. D. d. Per. & com. rei vend. Graviter Adversatur Africanus in *l. 33. D. Loc. Cond.*

XXVIII.

Nec desunt Clarissimornm Virorum, hac de re testimonia.

XXIX.

Tribonianus Antinomias plurimas nobis reliquit, in quibus conciliandis qui laborant, eos oleum & operam perdere necesse est, Ant. Matth. *præfat. ad Inst.*

XXX.

Justiniano sive Triboniano affirmanti, concordare inter se omnia, fidem habeo nullam, Cujac. *Inst. de legat.*

XXXI.

Jam pridem irrisa est puerilis opinio sive hæresis eorum, qui nihil contrarium in jure nostro exstare putant. Bach. *de act. disp. 3. th. 36.*

XXXII.

Nihil arbitror in Scholis esse perniciosius, dissimulatione Antinomiarum, & dissensionum, quæ inter Veteres JCtos fuerunt, Hottom. *c. 1. disp. d. Pact.*

XXXIII.

Ulpianus cum Africano verè pugnat, nec ulla inter eos componendi dissidii ratio quærenda est. Borch. *c. 5. d. reb. Cred. n. 26.*

XXXIV.

Ridiculi sunt nostri, qui tantopere laborant in istis male conciliandis, quos ultro dissensisse manifestissimum est, Ant. Fab. *11. conj. 9.*

XXXV.

Ostendam oleum & operam perdere, qui aliquot Pan-

Pandectarum nodos ſine gladio diſſolvere conantur. Egui. Bar. *Deciſ. Inſt. 53.*

XXXVI.

Doctorum hominum ingenia mirificè torſit, dum ratione & rebus ipſis pugnantia, quovis pacto ſtudent conciliare, quaſi religio ſit habendum, ſi perhibeamus, in tam difficili, & longo Pandectarum opere Juris compoſitores aliquando dormitaſſe. Matth. Weſenb. *in parat. D. de Pact. n. 9.*

XXXVII.

Nec mirum interdum in Pandectis antinomias reperiri, quas fruſtra nituntur Interpretes conciliare: quia hoc opus collectum eſt ex plurimorum JCtorum reſponſis, qui ſæpè contraria ſentiebant, & collectores non poterant in tanta voluminum & ſententiarum multitudine meminiſſe, quid alibi poſuiſſent. Leonard. Leſſ. *l. 2. d. Juſt. & jur. c. 14.* Hoc Jeſuitæ Judicium, quia Magnif. D. Præſidi *Com. ad Pand. d. Rei Vind. n. 19.* non diſplicet, addere placuit.

XXXVIII.

Obſtare vero huic noſtræ ſententiæ, qua Antinomias in jure ſupereſſe probavimus, è diametro videtur *l. 1. §. 8. l. 2. §. 15. C. de Vet. jur. Enucl. l. un. §. 8. d. concept. D. ad Tribon.* quæ expreſſè dicunt, nullam Antinomiam, nullum contrarium ullibi inveniri, ſed unam eſſe concordiam, unam conſequentiam. Sed his objicio *l. un. §. 4. de concept. ff. ad Tribon. l. 3. §. 15. l. 1. §. 4. C. de Vet. jur. Enucl.* quæ hoc non planè & abſolutè negant.

XXXIX.

Non tamen ſit jus noſtrum ex agnitione Antinomia-

miarum incertum. In his enim ea præferenda eſt ſententia, quæ fortioribus nititur rationibus, quæque crebriore calculo eſt comprobata, Magn. D. Præſes. *ad Tit. Pand. d. div. reg. jur. diſp. 29.*

EPIGRAMMA.

TRes nuper Divæ, Dice, atque Aſtræa, Themiſta
De ſtudiis pariter dimicuere tuis.
ALBERTUS, dicit, meus eſt, Aſtræa: meuſque eſt
Dice ait, & meus eſt, Diva Themiſta, refert.
Audiit, & Clario Phœbus ſubriſit ab antro:
Nil mihi cum rixis, Numina Docta, tuis?
Eſt tuus, O Dice! tuus eſt Aſtræa, tuuſque
Alma Themiſta: meus totus & unus erit.

Ita amicitiæ teſtificandæ gratiâ acclamab.
HANS ERNST à BORSTEL,
Jun. Nob. March.

GRandia pertentas ſtudii ſufferre labore
Munera & immota non ſine laude manu,
Singula dum variis juris Reſponſa figuris
Excutis è dubiis inſinuata plicis,
Et Labyrinthæos Legum diſſolvere nodos
Auſus & alternis reddere verba notis.
Perge alacris certò capies ſic Jaſonis ipſum
Vellus; virtutis præmia vera tuæ.
Sic Tibi Juſtitiæ facies venerabile nomen,
Sic poteris patrios condecorare Lares.

Ita Domino Auth. & Reſp. conterr. & contubernа. ſuo plurimùm dilecto gratulab. app.
DANIEL HENRICUS à BORSTEL.